

den Kreuzestod, die feindlichen Gewalten entwaffnet und öffentlich ist der Triumph über sie errungen. Koloff. 2., 13—16.

Die Erde wurde einst erschüttert durch den Donner am Sinai, aber Himmel und Erde erschüttert der neue Bund, der alte stürzt und bricht, Hebr. 12. 26—29. und über den Ruinen desselben erhebt sich das Christenthum im erhabenen Glanze und in ewiger Dauer.

(Schluß folgt.)

Lösung von Pastoral-Fällen.

(Fortsetzung.)

Qualis praesentia requiritur ad absolutionem?

(Vgl. unsf. Monatschrift II. Jahrg. S. 308.)

Cum secundum damnatam a Clemente VIII. a. 1602 die 20. Junii propositionem: „Licere per literas seu inter-nuntium confessario absenti sacramentaliter confiteri, et ab eo absente absolutionem obtineri“ et Paulo V. anno 1604 die 14. Julii id, licet praecessisset confessio in praesentia facta, prohibente, poenitentis praesentia etiam ad absolutionem necessaria est; interrogatur, qualis praesentia ad absolutionem requiritur? Respondemus: praesentiam moralem sufficere, h. e. praesentia in ea distantia, in qua solent homines voce usuali, licet alta alloqui. Hanc distantiam multi cum Sporer extendunt ad 20 pas-

sus; dicunt tamen, quodsi pœnitens a confessionali discessit, confessarius eum accedere debet, ut absolvat cum id commode fieri potest. Ceterum sine scrupulo potest confessarius absolutionem impertiri pœnitenti, cum certo scit parum distare.

Ad absolutionem autem a censura in foro interno nec requiritur verborum determinata formula, sed sufficit quodlibet externum signum, nec præsentia censurati, sed certe etiam absens absolvi potest. —

Num licet pœnitentem absolvi, qui nescit mysteria Incarnationis et sanctissimæ Trinitatis?

(Vgl. unſ. Monatschrift II. Jahrg. S. 308.)

Ut quæstionem hanc accuratius exponamus, quædam nobis de fide et de fidei necessitate ad salutem æternam sunt dicenda.

Fides definitur, ut virtus theologica a Deo infusa inclinans nos ad firmiter assentiendum ob divinam veracitatem omnibus, quæ Deus revelavit, et per Ecclesiam nobis credenda proponit.

Credenda autem sunt nobis alia de necessitate mediæ, alia de necessitate præcepti ad salutem. De necessitate mediæ credenda sunt, sine quibus salus obtineri nequit, etiamsi illius omissio sit inculpabilis. De necessitate præcepti vero, sine quibus salus obtineri nequit, si culpabiliter omittantur, nisi hæc omissio per pœnitentiam remittatur. Ut etiam explicite et implicite credere explicemus; explicite credere est idem ac expresse, distincte, secundum se et proprium conceptum; implicite: non distincte, non secundum se, sed confuse, in alio, in quo continetur.

Fides est necessaria ad salutem æternam assequendam, uti dicit Joannes 17., 3.: „Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum et Marc. 16., 13., 16.: Prædicate evangelium, qui crediderit . . . salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.“ Paulus ad Gal. 2., 16.: „Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesum Christi, et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi.“ Ita s. Augustinus: „A damnatione se non liberabunt; qui dicere poterunt, se non audivisse evangelium Christi.“ Et conc. Trident. sess. 6. c. 6.: „Libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata et promissa sunt, atque illud imprimis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.“ Ex quibus eloquiis patet, fidem explicitam ad salutem æternam esse necessariam.

Fides sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis est objectum fidei nostræ primarium et fundamentum salutis nostræ, et ideo baptismus, qui est sacramentum fidei, necessario conferri debet in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Hinc tamquam salutis fundamentum certe secundum se et explicitè requiritur. Fides autem explicita Incarnationis non potest esse sine fide explicita S. Trinitatis: nam s. Thomas ait 2. 2. q. 2. art. 8: „In mysterio Incarnationis hoc continetur, quod filius Dei carnem assumpserit, quod per gratiam Spiritus sancti mundum renovaverit et quod de Spiritu sancto conceptus fuerit.“ Et in symbolo Athanasiano confitemur: „Fides catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur etc. Sed necessarium est ad æternam salutem, ut incarnationem quoque domini nostri Jesu Christi fideliter credat . . . Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus

esse non poterit.“ Ita etiam conc: Moguntinum tempore Caroli Magni celebratum præcepit cap. 40: „Symbolum, quod est signaculum fidei et orationem Dominicalem discere semper admoneant sacerdotes populum Christianum, volumusque, ut condignam disciplinam habeant, qui hæc discere negligunt.“ Et conc: Forumjulense eodem tempore habitum, postquam dixit, hæc Christianos omnes memoriter scire oportere, subdit: „quia sine hac benedictione nullus poterit in cælorum regno percipere portionem.“

Ex his dictis fidei explicitæ et præcipue cognitionis mysteriorum sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis ad salutem æternam consequendam necessitas sat clare et firmiter est probata; unde nunc solutio quaestionis nostræ, num absolvi licet poenitens, qui mysteria sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis nescit?

Mysteria sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis fundamentum totius fidei nostræ et aggregationem et fontem omnis nostræ salutis agnovimus, quorum ignorantia et neglectus ignorantia et neglectio totius nostræ salutis est. Hæc autem qualis damnanda indifferentia in rebus gravissimis? qualis punienda negligentia? quale grave peccatum? Quomodo poenitens hocce peccato contaminatus possit absolvi? Absolvi dico et absolute justificatione, cujus condiciones sunt: fides, timor, spes, charitas, poenitentia, votum sacramenti, propositum vitæ melioris; justificari i. e. meritum passionis communicari, conc. Trid. sess. 6. c. 5., sine cognitione Jesu Christi incarnati, Salvatoris etc. et dein quomodo possit scire hasce veritates sine doctrina de s. s. Trinitate, quarum nexum prius declaravimus. Quid poenitentia, propositum vitæ melioris etc. proderit, nisi dignos ejusdem fructus ferret: revèra vitam meliorem institueret et virtutem exerceret, uno verbo

fidem vivificaret? Quomodo haec sine scientia doctrinarum fundamentalium?

Ex quibus expositis sat clare perspicimus, talem poenitentem, horum mysteriorum Trinitatis et Incarnationis inscium, non posse absolvi.

Quam sententiam etiam s. Ligorius ita defendit:

„Non esse absolutionis capacem, qui ignorat ea mysteria (S. S. Trinitatis et Incarnationis), aut quia agitur de valore sacramenti, aut quia agitur de mysteriis longe maximis et momenti valde gravis, ut credantur ad salutem æternam consequendam, ac edoctu ita facilibus, ut sine magna difficultate ea addiscere possit poenitens, antequam absolutione sacramentali donetur. Sed ratio potior est, quia poenitens Sacramentum poenitentiae percipiendo, quod est meritorum Salvatoris communicatio, tenetur illis explicite credere, sive tenetur exercere fidem circa illa mysteria S. S. Trinitatis et Incarnationis.“

Præterea idem perspicitur ex damnatione propositionis, quæ est n. 64., ab Innocentio XI.: „Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysteria Trinitatis et Incarnationis domini nostri Jesu Christi.“

Denique Benedictus XIV. Const. incipiente: Etsi minime (tom. I. Bulla pag. 110): „Curabit, inquit, Episcopus ut sacerdos, excipiens confessiones, fixum illud immotumque semper animo habeat, invalidam esse absolutionem sacramentalem, quam quis ignoranti res necessarias necessitate medii impertitur, nec posse homines Deo per huiusmodi sacramentum reconciliari, nisi prius excussa huius ignorantiae caligine ad agnitionem fidei educantur. Sedulo etiam animadvertet confessarius, in aliud tempus rejiciendam esse absolutionem illius, qui necessa-

ria necessitate præcepti suo vitio nescit; et eo quandoque casu poenitentem absolvi posse, quo se vincibilis hujus ignorantiae reum agnoscat et accuset; ac intimo dolens, tum a Deo veniam precetur, cum confessario serio promittat, operam se impense daturum, qua divinæ gratiæ præsidio discat etiam necessaria necessitate præcepti.“ *)

Quæ ex præcedentibus expositione non indigent.

Qui mysteria Trinitatis et Incarnationis ignorat, absolvi non potest.

(* Nota. Juxta Caroli Borromæi instructionem confess. explicite de necessitate præcepti saltem in substantia sciri et credi debent: 1. Symbolum apostolorum. 2. Oratio dominica et salutatio angelica. 3. Præcepta decalogi et ecclesiæ. 4. Sacramenta, cuilibet necessaria ut Baptismus, Eucharistia et Pœnitentia; ceterorum enim sufficit habere fidem implicitam, cum explicita sit tantum necessaria illis, qui ea suscipiunt. —

(Fortsetzung folgt.)

Abschiedsfeier

im bischöflichen Priesterseminär zu Linz.

Wenn ein lieber, theurer Freund aus einer Familie scheidet, in deren Kreis er einen großen Theil seines Lebens zubrachte, — mit der er Glück und Unglück, Freude und Kummer theilte; — deren Glied er so zu sagen, bereits geworden war, — wenn nun dieser innig geliebte Freund, an einen andern Ort gerufen,